

tuitur: ubi malorum pœnæ autorem Deum esse, nemo nostrum negabit.

33. Agnovit hoc discrimen olim etiam D. Augustinus, sic præclare disputans lib. 1. de libero arbitrio cap. 1. Dic mihi, quæso te, utrū Deus non sit autor mali? Respondet Augustinus: Dicam, si planum feceris, de quo malo quæras. Duobus enim modis appellare solemus malum: vno, cum malè quemquam fecisse dicimus: alio, cum mali aliquid esse perpessum. Jam, si Deum bonum esse nosti, vel credis, (nequè aliter fas est) malum non facit. Rursus, si Deum justum fatemur, (nam & hoc negare sacrilegum est) ut bonis præmia, ita supplicia malis tribuit, quæ utique supplicia, patientibus mala sunt. Quamobrem si nemo injustè pœnas luit, quod necessum est credamus, quandoquidem divinâ providentiâ hoc universum regi credimus: illius primi generis malorum nullo modo, hujus autem secundi autor est Deus.

34. Producent verò & alia scripturarum testimonia, quibus Deus excæcare, indurare, tradere in sensum reprobum, decipere &c. dicitur.

35. Verùm in dictis istis explicandis, præcipuè attendendum, quid analogia fidei patiatur: & quoniam dictorum istorum ῥητὼν sive literæ proprietates,

præterea,